

pectu suo et pulchritudine omnes ad Conditionem æstinandum et laudandum atque amandum incitat; ita et modestia conspecta homines ad glorificandum Deum impellat.

Ex occasione them.: «Qualis est dilectus tuus ex dilecto: » possunt laudes hominis modestiæ studentis explicari. Et quidem dici, quod caput illius sit aurum optimum propter gravitatem in capite movendo servatam. 2. Oculi illius sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, et resident juxta fluentia plenissima, eo quod non nisi ad objecta honesta et casta dirigantur. 3. Genæ illius sicut areolæ aromatum, ob hilaritatem, quam in facie ostendit. 4. Labia ejus lilia distillantia myrrham probatissimam, ob occuratam linguæ custodiam. 5. Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis, ob decentiam, quæ in iisdem movendis adhibetur. 6. Crura illius columnæ marmoreæ ob tarditatem, et gravitatem in excessu. 7. Venter ejus eburneus distinctus sapphiris, ob honestatem et munditiam vestitus, quem in corpore ornando observat. Ob quæ proinde decora merito quisvis homo hominem modestum amet, dicatque: Guttur illius suavissimum, et totus desiderabilis, et ipse est amicus meus.

Ex occasione thematis: «Quam pulchra est et quam decora charissima in deliciis.» CANT. VII: possunt pariter laudes animæ modestiam amantis prædicari. Et 1. quidem dici, quod caput illius sit ut Carmelus, ob rectitudinem. 2. Capilli sicut greges caprarum, ob ordinatam compositionem. 3. Oculi columbarum, et sicut piscinæ in Hesebon, ob puritatem obsectorum, ad quæ convertuntur. 4. Labia sicut villa coccinea, ob verecundiam sermonis. 5. Odor oris sicut odor malorum, ob decentiam in mensa servatam. 6. Collum sicut turris David, et sicut monilia, ob honestatem, quæ in eo ornando et tegendo adhibetur, et ob generositatem, qua leviculas mulieres collum denudantes contemnunt, et fugit. 7. Dentes sicut greges ovium, ob temperantiam, quæ in cibo potuque sumendo, famaque aliorum custodienda observatur. 8. Manus et digiti distillantem myrrham probatissimam, per abstinentiam ab omni contactu immodesto et illicito. 9. Pedes et gressus pulcherrimi in calceamentis, tamquam filiæ Principis, summam in gradiendo decentiam, gratamque tarditatem observandis. 10. Statura palme assimilata, ob victoriam difficultatis in observandis mo-

destiæ præceptis reportatam. Quæ omnia fuscè explicata videri possunt apud Justinum Michoviensem in discursibus super Litanias Laurotanas, discurs. 173 et seqq.

Ex occasione thematis: «Filia mea, lavare, ungere, et induere cultioribus vestimentis:» RUTH. II, 3: potest ornatus exterior animæ modestiæ explicari, eumque in finem exemplum Judithæ adhiberi, quæ 1. *lavit se*, quo denotatur mundities, qua modestia specialiter observandam præcipit. 2. «Imposuit mitram super caput suum, » qua gravitas in eodem movendo insinuat. 3. «Exiit se vestimentis viduitatis suæ, » qua fuga tristitiæ exterior ostensa, et studium hilaritatis denotatur. 4. «Induit sandalia pedibus, » quibus decentiam in incessu innuit. 5. «Assumpsit dextrariola, et annulos, » quibus ordinatissimus manuum motus significatur. 6. «Omnibus ornamentis ornavit se, et unxit myrrho optimo, » quo fuga omnis levitatis muliebris, et decor in omnibus actionibus et verbis observatus depreciditur: quibus proinde omnibus efficitur, ut animæ taliter ornate, quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute procedit, etiam Dominus augeat hanc in illa pulchritudinem, et incomparabili decore omnibus appareat.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Romæ olim Censores constituebantur, quorum primarium erat officium ad morum emendationem attendere; erantque inter alios Magistratus maximæ reverentiæ et potestatis: cumque illorum manus uno dumtaxat anno duraverit, hoc per quinquennium durabat. CICERO, de Leg.

Christus quondam S. Birgittæ dixit: O quam honestæ et morigerose oportet eas (animas Deo sacratas) in conspectu intuitum esse, cum verbis et moribus incedere, cum invitati ad nuptias, intuentes eas sint Virgo Maria Mater Dei cum toto coelesti exercitu. Sponsus vero desiderans eas, est verus Deus, Rex Regum et Dominus dominantium, potensque super omnia creata. Lycurgus Spartanorum legislator modestiam commendaturus imperavit, ut adolescentem maxime manus in viam intra pallium continerent, silentio incederent, usquam

circumspicerent, oculos humi defixos gererent. DREX., p. II, Ros. c. XII, § 3.

Priscorum metro dicebatur: corona virtutum omnium modestia. *IBID.*, § 5.

Publius Virgilius poetarum Princeps adeo animo, ore, et calamo verecundus fuit, ut vulgo Parthenius diceretur. *IB.*, § 5.

Agnus castus, frutex sic dictus, quia castum hominem efficit, merito hominis modesti symbolum dicitur, ut qui omnibus, a quibus videtur, integritatis insigne confert, ut S. Ambrosius loquitur. *IB.*, § 2.

S. Bernardus ad modestiam exemplo B. Virginis æmulandam sic hortatus est: Obsecro vos, filiioli, æmulamini hanc virtutem. Si Mariam diligitis, si contenditis ei placere, æmulamini modestiam ejus: nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Christiano. S. BERN., *sup. fig. magnam.*

AXIOMATA.

Ex abundantia cordis os loquitur.

Qualis domus, talis Dominus. FREVILEG.

AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez, tr. II, toto.

Jeremias Drexelius in *Rosis*, p. II, c. XII.

Joannes Pelecius, l. III, de *Offic. Rebg.*

S. Dorotheus, serm. 2.

Bernardus Rosign. l. IV, de *Discipl.*, c.

XXXVIII.

Julius Fabius, de *Mort.*, c. XX.

Nicolaus Lancizius, opusc. II.

Joannes Buseus, in *Panario V. Inmodestia.*

MORS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est recessus animæ, secundum Aristotelem: aut caloris naturalis dissolutio, juxta eundem. ARIST., l. de *Mort.* Secundus Philosophus ab Adriano imperatore interrogatus, quid esset mors, respon-

dit: Æternus somnus, dissolutio corporum, divitum pavor, pauperum desiderium, inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, latro hominis, somni pater, fuga vitæ, vivorum discessio, resolutio omnium. AR. LAERT. Juxta S. Aug. est relicto corporis, depositio sarcinæ gravis. S. AUG. Juxta S. Amb., est absolutio animæ et corporis, et quedam hominis separatio; solvimur enim hoc nexu, cum recedimus. Unde et David ait: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. S. AMBR., de *Bona mort.* c. III. A S. Gregorio *Somnus* vocatur juxta illud S. Jobi: Homo, cum dormierit, non resurget. Cujus appellationis rationem hanc S. Doctor reddit, quod vehementer ab infirmis mentibus nomen mortis pertimescitur, somni autem vocabulum non timetur. Unde S. Paulus discipulos admonet, dicens: Nolimus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut et ceteri qui spem non habent. S. GREG., l. XII, *Mor.*, c. v. Dicta autem est mors a morsu, teste S. Aug., quia videlicet per morsum, quo proproparentes nostri vitæ pomum momorderunt, in orbem introducta est. S. AUG., s. c. de *Temp.*

Dividitur 1. in *Naturalem*, et *Violentam*: illa est, quæ ab interno principio videlicet caloris naturalis extinctione, provenit, qui propter defectum humiditatis radicalis, perinde ut lucerna deficiente oleo extinguitur. Ista est, quæ a principio extrinseco oritur, cum videlicet, ut Cicero explicat, vel humor detrahitur, vel calor extinguitur oppressione quæpiam, sive interna, ut in veneno, ingluvie, et alluvione immo dica potus, quemadmodum cum nimium olei in lucernam infunditur: sive externa, ut spiritus cor refrigerantis in arteria, vel ore compressio, quale est, cum ignis lapidibus aut multo cinere de repente obruitur. Cic., l. I, *Tusc.*

Dividitur 2. in *Bonam* et *Malam*: illa contingit, quando homo in statu gratiæ decedit, ista est, quando in peccato mortali, per penitentiam non deleta, moritur, et a S. Jo. mors secunda vocatur. APOC. II. De illa dicitur: Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus, Ps. cxv, 15, de hac: Mors peccatorum pessima. Ps. xxxiii, 22. Unde teste S. Greg., populum per deserta gradientem columna nubis in die, et columna ignis in nocte præibat, quia cum venerit Filius hominis in Majestate sua, omnes hunc et electi, et reprobi videbunt, ut et justi de

munere retributionis sine fine gaudeant, et injusti in ultione supplicii in perpetuum gemant. S. GREG., h. xx, in Ev.

ADJUNCTA MORTIS. — Quatuor fere sunt magis præcipua adjuncta, quæ mortem terribilem faciunt. Primum sunt *dolores corporis*: de quibus S. David dixit: Circumdede- runt me dolores mortis: Ps. xvii, 3: vere enim, ut loquitur Bessaëus, circumdant dolores ægrum ut obsessam urbem vallo morborum, fossa symptomatum, excubiis medicorum, stationibus amicorum, telis medicinarum, sectionum, ultionum, balistis deliquorum, ruina denique murorum ac evastatione. Unde, ut idem Psalmista ait, ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos, ibi dolores ut parturientis. PSAL. XLVII, 6.

Secundum sunt *dolores animæ* ob peccatorum conscientiam perturbate: qui quidem tanti sunt, Innocentio teste, ut anima plurimum turbata cogatur quasi seipsam odisse. Unde stafim subjungitur in Psalmo supra citato: Torrentes iniquitatis conturbaverunt me: nam torrentes cum multo impetu veniunt, et videntur diruere omnia. INNOC., de Conc. mundi, c. XLII.

Tertium sunt *dolores inferni*: de quibus iterum Psalmista loc. cit. ait: Dolores inferni circumdede- runt me: seu, ut alibi clarius explicat: Circumdede- runt me dolores mortis, et pericula inferni invenerunt me; quando scilicet, ut loquitur Innocentius, anima jam incipit triste dijudicare, et sibi pro iniquitatibus singulis debita gehennæ tormenta timet imminere. Ps. cxiv, 3.

Quartum sunt *dolores ex aspectu demonum exorti*: qui, sicut feles excubant ad murium antra, præstolantur egressum animæ, ut corripiant prodeuntem. Quod jus videntur accipisse ab exordio mundi, dum iisdem dixit Deus: Tu insidiaberis calcaneo ejus. GEN. iii, 15. Ubi Glossa ait: Calcaneum, finem hominis significat, ad illum semper demon attendit, semper insidiatur. Unde iterum cit. Ps. xiv, ait: Præoccupave- runt me laquei mortis. Quantus autem hic dolor sit, S. Bernardus explicat sequentibus verbis: Eam comprehendet tam terribiliter, quam horribiliter volent retinere. S. BERN., l. 1, de Med. Hinc ad Abbatem Bonavællis in hæc verba scripsit: Orate Salvatorem, ut tempestivum jam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis, ut is,

qui insidiatur, invenire non possit, unde figat dentem, et vulnus infligat. Epist. cxxx. Quæ omnia confirmantur ex visione, quam S. Antonius quondam habuit, dum elevatis ad cælum oculis gigantem quemdam terribilem vidit, caput ad cælos attolentem, et animas ad cælum volare volentes extensis manibus prohibere conantem, quarum aliquas ad terram allisit, alias autem frustra retinere contendit.

EX S. SCRIPTURA.

CERTITUDO QUOAD SUBSTANTIAM. — Quia audisti vocem uxoris tuæ, et comedisti de ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, et in pulverem reverteris. GEN. LXXXIX, 17.

Omnes morimur, et quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. II REG. XIV, 14.

Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem? eruet animam suam de manu inferi? Ps. LXXXVIII, 49.

A muliere factum est initium peccati, et per illam omnes morimur. ECCL. xxv, 33.

Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors; ita et in omnes homines mors pertransit in quo omnes peccaverunt. ROM. v, 12.

Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccaverunt. IB. XIV.

Unus est introitus omnibus ad vitam, et similis exitus. SAP. vii, 6.

Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium. HEBR. ix, 27.

Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est; constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. JOS. xiv, 5.

Noli de mortuo inimico tuo gaudere, sciens quoniam omnes moriemur, et in gaudium nolimus venire. ECCL. viii, 8.

Non est in hominis potestate prohibere spiritum, nec habet potestatem in die mortis. ECCL. viii, 8.

Noli metuere judicium mortis. Memento, quæ ante te fuerunt, et quæ superventura sunt tibi: hoc judicium a Domino omni carni. ECCL. xli, 3.

Cum dixerint, pax, et securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus. I THESS. v, 3.

INCERTITUDO QUOAD TEMPUS. — Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo supervenerit. ECCL. ix, 12.

Memor esto, quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi. ECCL. xiv, 12.

Estote parati, quia, quæ hora non putatis, Filius hominis veniet. LUC. xii.

Ecce nunc, qui dicitis: Hodie aut crastino ibimus in illam civitatem, et faciemus ibi quidem annum, et mercabimur, et lucrum faciemus: qui ignoratis, quid erit in crastino. JAC. iv, 14.

QUALITAS. — Videntes enim sciunt, se esse morituros: mortui vero nihil moverunt amplius, nec habent ultra mercedem, quia oblivioni tradita est memoria eorum.

Si annis multis vixerit homo, et in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis.

Cum interierit, non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria ejus. Ps. XLVIII, 18.

Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum revertentur. Ps. ciii, 29.

Cum morietur homo, hæreditabit serpentes, et bestias, et vermes. ECCL. x, 13.

Putredini dixi: Pater meus es, mater mea, et soror mea, vermibus. JOB. xvii, 14.

O mors, quam amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis: viro quieto, et cujus vitæ directæ sunt in omnibus, et adhuc valenti accipere cibum. ECCL. xli, 1.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, et ego sicut fœnum arui. Ps. ci, 42.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur, et conteritur, et fugit velut umbra: et nunquam in eodem statu permanet. JOB. xiv, 1.

Dies mei velociores fuerunt cursore, fugerunt et non viderunt bonum. Pertransierunt quasi naves poma portantes, sicut aquila volans ad escam. JOB. ix, 25.

Ecce equus pallidus, et qui sedebat super eum, nomen illi mors; et infernus sequebatur eum, et data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, et morte, et bestiis terræ. APOC. ix, 8.

Est, qui locupletatur parce agendo: et nescit, quod tempus prætereat, et mors appropinquet, et relinquat omnia aliis, et morietur. ECCL. xi, 18.

Nudus egressus sum de utero matris meæ, et nudus revertar illuc. JOB. i, 21.

UTILITAS. — Melius est ire ad domum luctus, quam ab domo convivii; in illa enim finis cunctorum admonet hominum, et vivens cogitat, quid futurum sit. ECCL. vii, 3.

Melior est dies mortis, quam dies nati- tatis. IB., 2.

Quasi effodientes thesaurum, gaudent vehementer, cum invenerint sepulchrum. JOB. iii, 25.

Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, sed æternam in cælis. II COR. v, 1.

MORS DESIDERATA. — Coactor autem e duobus, desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo. PHILIP. x, 23.

Quis det, ut veniat petitio mea, et, quod expecto, tribuat mihi Deus? et qui cœpit, ipse me conterat? JOB. vi, 9.

Scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem) ædumus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et præsentem esse ad Dominum.

Eduo de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo. Ps. cxli, 8.

Moriatur anima mea morte justorum, et flant novissima mea horum similia. BALAAM, n. xxiii.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum: concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini. Ps. lxxxiii, 2.

MORS JUSTORUM. — Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis: opera enim illorum sequuntur illos. APOC. xiv, 13.

Jussu si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. SAP. iv, 7.

Timentum Dominum bene erit in extremis, et in die defunctionis suæ benedicetur. ECCL. i, 13.

Beati servi, quos, cum venerit Dominus invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcignet se, et faciet illos discumbere, et transiens ministrabit illis. LUC. xii, 37.

Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum ejus. PSAL. CXY, 16.

Consummatus in brevi, explevit tempora multa : placita enim erat Deo anima illius : propter hoc propeverat educere illum de medio iniquitatum. SAP. IV, 13.

MORS IMPIORUM. — Mors peccatorum pessima. PSAL. XV, 22.

Nationis iniquæ, diræ sunt consummationes. SAP. III, 19.

A verbis peccatoris ne timueritis, quia gloria ejus stercus et vermis est. Hodie extollitur, et cras non invenitur, quia conversus est in terram suam, et cogitatio ejus perit. I MACH. II, 62.

Vae vobis viri impii, qui dereliquitis legem Domini Altissimi. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini : et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. ECL. XII, 14.

Mortuo homine impio, nulla erit ultra spes, et expectatio sollicitiorum perit. PROV. XI, 7.

Videntes turbabuntur timore horribili, et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, penitentiam agentes, et præ angustia spiritus gementes : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum. SAP. V, 2.

PREPARATIO AD MORTEM. — Ante obitum operare justitiam, quoniam non est apud inferos invenire cibum. ECL. XIV, 17.

Memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, et appropinquent anni, de quibus dicas : Non mihi placent. ECL. XII, 1.

Dispone domi tuæ, quia morieris. IV REG. XX.

EX SS. PATRIBUS.

CERTITUDO QUOAD SUBSTANTIAM. — Quid in hac terra certum est, nisi mors? profecisti? quis tu es, hodie scis; quid facturus sis crastino, nescis. Speras pecuniam? incertum est, an proveniat. Speras uxorem? incertum est, an acquiras, vel qualem accipias. Speras filios; incertum est, an nascantur. Nati sunt? incertum, an vivant. Vivunt? incertum est, an proficiant, an deficiant. Quocumque te verteris, incerta omnia, mors certa. Natus es? certum est, quia morieris.

Mortis diem omnes affuturum scimus, et

tamen omnes, aut pene omnes differre conamur, etiam qui post mortem se beatius credunt esse victuros, tantam habet vim carnis et animæ dulces consortium. S. AUG., de Gratia Novi Test.

Inter eum qui decem vixit annos, et illum qui mille, postquam idem finis vite advenit, et irrecusabilis mortis necessitas, transactum omne tantumdem est, nisi quod magis senex onustus peccatorum fasce proficiscitur.

INCERTITUDO QUOAD TEMPUS. — Horam ultimam idcirco Dominus voluit nobis esse incognitam, ut semper possit esse suspecta; ut, dum illam prævidere non possumus, ad illam sine intermissione properemus. S. GREG., in hom.

Tanto amplius mors timeri debet, quanto nunquam provideri valet. Cur ergo quasi de certo extollitur, cujus vita sub pena incertitudinis tenetur? S. GREG., I. XII, c. IX.

Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies; sero parantur remedia, cum mortis imminet pericula. S. AUG., de disc. Chr.

Ad hoc Conditor noster latere nos voluit finem nostrum diemque nostræ mortis esse incognitum, ut, dum semper ignoratur, semper proximus esse credatur; et tanto quisque fit ferventior in operatione, quanto et incertus est de vocatione, ut, dum incertus sumus, quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire. S. GREGOR., I. XII, Mor.

Nescis qua hora veniet : semper vigila, ut quod nescis quando veniet paratum te inveniat cum venerit, et ad hoc forte nescis, quando veniet, ut semper paratus sis. S. AUGUST.

Quid in rebus humanis certius est morte, quid incertius hora mortis invenitur? S. BERN. in serm.

QUALITAS. — Nudi omnes nascimur, nudi morimur. Nulla distinctio inter cadavera mortuorum, nisi forte, quia gravior fetent divitum corpora distenta luxuria. S. AMBR., in Hexam.

O durus, et durior casus! heu quid perdidit homo, et quid invenit! perdidit beatitudinem, ad quam factus est, et invenit mortem, ad quam factus non est. Hodie venimus a patria in exilium, a visione in cecitatem, a juventute immortalitatis ad corruptionem mortis. Misera conditio, gravis dolor, grave damnum, grave tormentum! S. ANSEL., in Med.

In morte tanto timor sit acrior, quanto retributio viciniior, et quanto vicinius iudicium tangitur, vehementius formidatur; inveniet enim homo post pusillum, quod in æternum non poterit vitare? S. GREGOR., XXIV, Mor., c. XVII.

Anima mea, quis erit ille pavor, cum dimissis omnibus quorum tibi presentia jucunda erat, sola ingredieris ignitam penitus regionem, ubi occurrentia catervatim teterima monstra videbis; quis tibi in die tantæ necessitatis succurret? quis tuebitur a rugientibus preparatis ad escam? quis consolabitur? quis deducet? S. BERN.

Ultimus dies tanti est ponderis, ut illius ratione reliqui dies merito debeant observari. S. AUG. in festo S. Joann. Evang.

Loculus diminutive est mortui locus, in quo jacet, cui enim viventi magna palatia, et ampla domus non sufficiebant pro loco, ei morienti parvum spatium sufficit pro loco; unde mortuo Alexandro dixit quidam Philosophus : Quem totus mundus non capiebat, hodie parva continet area. RUDOLPH. CARTH. ap. Mansi tr. I, disc. v, n. 1.

Adveniente lapide, id est, mortis duritia, percutitur et conteretur, et tunc aurum sapientiæ, argentum eloquentiæ, æs divitiarum, ferrum potentia comminuetur, et in nihilum redigetur, et a vento dispergetur : quia caro vermibus, divitiæ parentibus, et anima demonibus tradetur. S. ANTON. PAD., s. in Dom. XXIII post Trin.

Quis non perturbetur et consternetur, cum eum, qui hesternò die, aut paucis ante diebus ambulabat, sexcenta domus negotia gerebat, uxoris, filiorum, mancipiorum, sepe etiam integrarum civitatum curam suscipiebat, minabatur, terrebatur, supplicia partim solvebat, partim inferebat, innumera tum in urbibus, tum in regionibus efficiebat, repente quovis lapide surdiorum jacentem videt? Cumque innumerabiles homines plorent, et amicissimi quique plangent, et uxor dolore distorqueatur, genas lædat, comas vellat, magnoque cum ululatu ancillarum greges circum se colloct, ipsum tamen nihil eorum sentientem; cum etiam omnia repente de medio sublata esse, rationem, ingenium, animas, oris florem et venustatem, membrorum motum, injucunda autem, et inamœna iis successisse, nimirum silentium, stuporem, corruptionem, sanie, vermes, cinerem, pulverem, fetorem, interitum integrum, corpusque totum eo pro-

perans, ut in vilia et deformia atque ignobilia ossa desinat. S. CHRYS., c. IV, ep. v.

Mortalem te, quæso, esse recordare; terræ equidem es, in terranque rursum dissolveris. Circumspice eos, qui ante te similibus sese splendoribus efferebant; ubinam sunt illi, qui civilibus dignitatibus ornati erant? ubi invicti rhetores? ubi duces? ubi dynastæ? ubi tyranni? Nonne omnia pulvis? Nonne fabula? Nonne in paucis ossibus memoria vitæ ipsorum conservatur? S. BASIL., orat. 24, de Morte.

Quid foetidius humano cadavere? quid horribilius homine mortuo, cujus erat in vita gravissimus amplexus, sit in morte horribilis aspectus. Quid ego prosum divitiæ? Divitiæ non liberant a verme, honores non liberant a fetore. S. ANTON. p. IV, rit. XIV, c. VIII, § 7.

Quis resistit morti? Resistitur ignibus, undis, ferro; resistitur potestatibus; resistitur Regibus. Venit una mors, quis ei resistit? Nihil est illa fortius. S. AUG. in Ps. CI.

Insuperabilis est potentia, quia non unum solum, sed omnes superat, scilicet fortes et debiles, letos et tristes, egenos et divites, incolas et advenas, juvenes et senes, viros et mulieres; et ut omnia flumina intrant in mare, id est amaritudinem mortis necessario subintrant; mors enim est, omnium pena, omnium tributum, omnium carcer, omnium domina.

Dicebat quidam, quod si habere iudicem fidelem eligere, mortem præ cæteris eligeret, eo quod non est personarum acceptio apud eam, nec miseretur pupillo, nec desert seniori, nec dimittit divitem, nec veretur nobilem, nec horret pauperem et ignobilem, nec evitat fortem, nec parcat sapientem, nec condatat insipienti; sed ut dicitur : « Mors sceptrâ lignonibus æquat : est commune mori; mors nulli parcat honori; nobilis et fortis veniunt ad funera mortis. » BELLOV. p. I, l. II, dist. 2.

Quoties herbam fœni, floremque venustum conspexeris, fac tibi in mentem venustum humanæ naturæ fragilitas, ac recordare ejus similitudinis, quam Isaias ille magnus proponit, dicens : Omnis caro ut fœnum, et omnis gloria hominis, tamquam flos fœni. Quæ sane similitudine commodissime Propheta complexus est humanæ vitæ brevitatem, et fluxam commodorum ejus lætiam, atque voluptates : siquidem hodie

aliquis est vegeto corpore, deliciis diffuit, præstantem ac gratum ei colorem flos ætatis præbet, animo magno ac forti est præditus, cras vero is ipse miserabili apparet forma, quam vel tempus dedit, vel morbus immutavit. S. EPHREM, *orat. de Morte*.

UTILITAS. — Laudare, vel satis considerare mens humana non sufficit altitudinem hujus divini consilii, quo B. Trinitas homini mortuo morte peccati, quæ mors animæ est, necessariam providit mortem corporis, præparatum habens apud se bonæ artis instrumentum, quo posset per mortem corporis mors animæ destrui. RUP. AB., l. III *de Glo. Trin.*, c. v.

Iniquus moriens, qui imitatione sui multos ad culpam traxerat, delectatione peccati; multos a culpa revocat terrore tormenti; quod etiam Psalmista testatur dicens: « Lætabitur justus, cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris; » in peccatorum enim morientium sanguine justi lavant manus, quia dum eorum poena conspiciuntur, conscientis vita mundatur.

Inclinemus nos ad sepulchra, et conditionis nostræ occulta prospiciamus. Ex cadaveribus permixtos ossium acervos, cranique carnilibus exuta cum reliquis ossibus cernamus, et hæc considerantes, nos ipsos in illis, velut in speculo quodam contemplabimur. Ubi juvenutis flos, et pulchritudo? ubi venustus ille genarum decor? hæc nobiscum cogitantes, carnis desideria fugiamus. S. EPHREM, *de Vit. sp.*

Juxta lapidem, super quo lavantur corpora, te meditando compone, et diligenter excogita, quo tractentur usu sepeliendi; nunc enim in tergum, nunc in faciem versantur. Quomodo nutat caput, cadunt brachia, rigent crura, jaacent tibie, quomodo induantur, consuuntur. Summaque tibi sit philosophia, meditatio mortis assidua. Hanc ubicumque perrexeris, tecum porta, et in æternum non peccabis. S. BERN., *de Formula honest. vit.*, c. XIV.

Facit mundum contemnere cineris consideratio; nam concupiscentia oculorum contemnitur, quando quis cogitat, quod in deliciis corpus nutritum erit cibus vermium; superbia vitæ contemnitur, quando quis cogitat, quod ille, qui vult esse super alios, ponetur sub terra, quæ est infimum elementorum. S. BONAV., *Dial.*, lit. VII, c. v.

Ut contendens intrare in civitatem, quæ floret, priusquam videat, quod secum con-

cipit, videat primum quid sit, ideo ante portam sunt sepulchra, per quæ docemur, in quid desinimus tandem. S. CHRYS., *de Fid. et leg. nat.*

Mors nihil aliud, quam carceris finis, et laboris consummatio, ad portam applicatio, peregrinationis adimpletio, oneris gravissimi depositio, de equo furioso descensio, de domo ruinoso liberatio, omnium ægritudinum terminatio, omnium periculorum evasio, omnium malorum consumptio et diruptio. ISIDOR., *de Cons. mort.*

Nihil sic revocat a peccato, quam frequens mortis meditatio. S. AUG., ap. BEYER., *in Ezh. v.*

Memento mortis tuæ, et non peccabis. Qui se quotidie recordatur esse moriturum, contemnit præsentia, et ad futura festinat. S. HIER.

Qui considerat, qualis erit in morte, semper erit pavidus in operatione. S. GREG.

Nihil æquæ tibi proficit ad temperantiam omnium rerum, quam cogitatio brevis ævi et hujus incerti: quidquid facis, respice mortem. S. HIER., *ad Heliod.*

MORS JUSTORUM. — Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit; neque enim facit malam mortem, nisi quod sequitur ipsam mortem. S. AUG., l. I, *de Civit.*

Non potest male mori, qui bene vixerit, et vix bene moritur, qui male vixit. IDEM, *de Doct. Christ.*

Mors justorum est bonis in adiutorium, malis in testimonium, ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiunt, ut vivant. S. GREG., *sup. Matt.*, xx.

Bona mors justi propter requiem, melior propter novitatem, optima propter secretitatem. S. BERN., *in Ep.*

Pretiosa mors Sanctorum, pretiosa plane tanquam finis laborum, tanquam victoriæ consummatio, tanquam vitæ janna, et perfecta securitatis ingressus. IDEM.

Justis mors est quietus portus, nocentibus naufragium putatur. Certe iis, quibus gravis est timor mortis, non est grave mori, sed grave est vivere sub metu mortis. Non ergo mors gravis, sed metus mortis. Non habemus, quod a morte metuamus, se nihil, quod timendum sit, vita commisit. S. AMBR., l. *de Bona mort.*

Timor de futura morte mentem necessario concutit, et quasi clavus carnis, omnes

cum tanta pompa, tamen sit mala, quia cujus corpus hic collocatur et deportatur in lecto eburneo, ejus anima sepulta est in inferno. BED., *in Ps. xxxiii.*

Anima peccatoris multis doloribus et anxietatibus illo tempore subjacet; quia cum egredietur, occurrent ei opera, quæ fecit, sive bona fuerint, sive mala; et illa (velit, nolit) aspiciet oculis interioribus suis, et judicabit in se mala, quæ fecit, et tormenta sibi videbit et proximo miserabiliter imminere. INOOR., cap. XIX *de Contem. mor.*

Mors peccatorum mala in amissione mundi, a quo non possunt sine dolore separari: pejor in dissolutione carnis, a qua evelluntur eorum animæ a spiritibus malignis; pessima in tormentis inferni, quando corpus et anima perpetuis simul abdicuntur ignibus. S. BERNAR., s. XLI *in Cor. parvos.*

Amara est, et terribilis (mors) Domine, abundantibus iniquitate, affluentibus prosperitate, carentibus adversitate, et non languentibus infirmitate.

Quærentes qui eos redimat, et nemo est, qui liberet; requirentes socios, et nemo adest, qui eos comitetur; requirentes advocatos et patronos, et nemo qui ausit. S. EPHR., *de Obdor. in Christ.*

Mors peccatorum pessima. Audi unde pessima. Mala siquidem est in mundi amissione, pejor in carnis separatione, pessima in vernis, ignisque duplici contritione. S. BERN., *Ep. vi.*

Percutitur hac animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui, dum viveret, oblitus est Dei. S. AUG., s. III *de SS. Inn.*

Vita erat in Paradiso, ubi lignum vitæ, et vita erat lux hominum; mors igitur mala, quæ accessit, et subintravit. S. AMBR., *in l. de Hom. mort.*, VI, 4.

MORS DESIDERANDA. — Laudandum quidem ille est, qui mortem tanquam hodie venturam expectat; sed ille sanctus, qui eandem semper desiderat. S. GLIMAC., *scal. Par.*, gr. VI.

MORS MEMORANDA. — Mortem velut præsentem semper tibi ob oculos pone. Ita enim fiet, ut, cum ipsi occurrendum erit, superior existas. Perpetuum tibi sit hoc studium, ut mentem tuam templum Deo extruas. Hinc enim assequeris, ut eum pro spirituali statua in ultimo corde habeas. S. GREG. NAZ., *in Sentent.*

MORS IMPIORUM MALA. — Vere pessima est (mors peccatorum) quia sicut vivere charitati optimum, ita mori charitati pessimum est; et ex hac morte efficitur hoc, quod etsi alia mors, id est, dissolutio eorum videtur bona stultis, quia vident funus eorum ferri

motus superbie ligno crucis affligit. S. AUG., l. *de Doct. Chr.*

Pis mors ultra non est mors, sed nomen tantum habet mortis: imo et ipsum nomen sublatum est. S. CHRYS., s. *sup. Mat. x.*

Quid est mors, nisi vitiorum sepultura, virtutum suscitatio? S. AMB.

Volo te mortem etsi non effugere, certe vel non timere; justus quippe mortem etsi non cavet, tamen non pavet. Denique si more præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. S. BERN., *Ep. cv.*

O quam beate moritur, qui moriendo oritur; quam feliciter temporalem finit vitam, qui vivere perpetuatur incipit. Hinc est, quod S. Ecclesia dies migrationis Sanctorum Nates vocare consuevit, quia protinus in celo nascuntur, cum in terra visibiliter moriuntur, et tunc vere incipiunt vivere, cum mortalem videntur vitam finire. S. PETR. DAM., s. I *de S. Vitali mart.*

Quod interim morimur, ad immortalitatem morte transgredimur, nec potest vita æterna succedere, nisi hinc contigerit exire; non est exitus iste, sed transitus, et temporali itinere deorsum ad æternam transgressus. S. CHRYS., *de Mortal.*

Meliores dies sunt, quibus ad æternam vitam renascimur, quam illi, quibus in hæc tempora procreamur. Prima nativitate terras ingredimur, secunda cœlestibus preparamur. S. EUSEB. EMISS., h. I *de Pasc.*

Bona mors, et nequaquam abhorrenda, quæ vitam, etsi admittit, non perimit; admittit quidem, sed ad tempus, restituendam in tempore, duraturam sine tempore. S. BERNAR., *Ep. XLII.*

Quis excogitare queat tuarum utilitates beatitudinum? Nam male mori Christianorum non est. Bene autem mori cum Christo vivere est. S. AUG., t. IX, l. I *de Visit. infr.*, c. VI.

Est vita secura, ubi conscientia pura; ubi mors sine formidine expectatur, cum dulcedine adesse optatur, et cum devotione acceptatur. Intellige, quod venientem mortem nullus lætus et hilaris suscipit, nisi qui se ad ipsam, dum viveret, bonis operibus præparavit. S. BONAV., c. III.

MORS IMPIORUM MALA. — Vere pessima est (mors peccatorum) quia sicut vivere charitati optimum, ita mori charitati pessimum est; et ex hac morte efficitur hoc, quod etsi alia mors, id est, dissolutio eorum videtur bona stultis, quia vident funus eorum ferri

ergo hic potiori jure dicamus, quod paulo ante dictum est: Inspice, et fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est.

De B. Virginis sanctissima morte, et gloriosa Assumptione sequentia refert Petrus Ribadeneira ex probatis auctoribus. Cum sanctissimæ vitæ cursum diu sanissimam tenuisset (Christus enim publico Ecclesiæ suæ honore Matrem singularibus omnino suæ gratiæ præsidis munitam sospitabat) sui filii doctrinam, sanctissimique Nominis ejus famam, in omnes orbis oras propagatam læta didicisset, ardentissimo videndi Filii desiderio accensa, enixis ab eodem precibus contendit omni mortalitate corporis exui, colloque subvehi. Audiit pias Matris preces piissimus Filius, votique mox compotem fore per cœlestem Ephebum significavit. Miro Legatum hunc, legationemque gaudio Domina excepit, quam et S. Joanni dilectissimo filio mox exposuit, a quo paulatim ad omnes Christianos, qui Hierosolymis, vicinisque locis debebant, tam novæ et inexpectatæ rei famam dimanavit. Itaque maximus undique factus ad magnæ Matris exequias celebrandas concursus, certatimque itum in montem Sion, illæque ades, quas suprema cœna sua, mysticoque Eucharistiæ epulo Christus consecraverat, quasque S. Spiritus in Pentecoste coruscantibus super Apostolos linguis igneis illustrarat. Ingens huc a piis collecta cœrorum, unguentorum, aromatumque copia, quibus ex solempni gentis ritu, Domina justa persolverentur; funebres etiam nœniæ, threnique compositi, quibus funus honestaretur. Id quoque supremum in terris solatium Domina a Filio datum, omnes ut Apostoli varias in orbis oras Evangelii disseminandi causa divisit, subito Angelica opera Jerusalem translata, morituræ lectulo sisterentur. Affluere etiam præsentis viri prorsus Apostolice Hierotheus, Timotheus, Dionysius Areopagita, alique qui Deum poposcerant, et imperatrant, huic ut spectaculo sibi adesse liceret. Porro Domina ut lectissimo tot piorum collegio sese vidit obvallatam, miris perfusa gaudiis, ingentes Filio grates egit pro tanto beneficio sibi collato. Tum placido vultu singulos intuita, et comiter affata dixit, hanc a Filio sibi factam gratiam, ut omnes eos præsentis supremum cernere, et alloqui liceret; jam dudum a cœlitibus sese desideraret, eorum tandem votis non annuisse tantummodo, sed a Filio etiam

petiisse, ut aliquando sese corporis hujus mortalitatis nexibus absolveret: Filium vero liberaliter annuisse, atque id nunc agi. Cubabat humili Domina grabatulo, accensus, ut quique circumstantibus, cereos manu præferebant, quos illa ore comi, divinarumque quodammodo Majestatem spirante contemplata, propius adesse jussit ad accipiendam benedictionem. Qua data Filium enixe, submissequè rogavit, vellet eam in cœlo ratam, vellet omnes præsentibus olim supernis Beatorum cœlitum choris adsciscere. Ad hæc omnes perinde ut pii adversus piissimam Matrem Filii, charum adeo funus certatim deflere, effusaque suam orbitatem deplorare. Quibus illa: Valet, inquit, filii longe charissimi, sistite fletus, facessant lacrymæ, cedant suspiria; quin vos potius mecum gaudeatis, mihi congratulamini, quod ad Filium meum, Dominum vestrum vadit. Mox ad S. Joannem conversa, geminas vestes duabus adstantibus puellis, quibus familiariter usa fuerat, jussit erogari; cum ecce sibi Jesum Filium multis cœlitum legionibus stipatum, cœlo ex se delabentem conspicata, miris delibuta deliciis in hæc preces erupit: Salve, benignissime, omnis boni fons; salve, lux omnis origo lucis. Quas ego satis dignas tibi gratias reponam, quod acceptam meo de corpore mortalitatem sis induere dignatus? Ecco me, Fili mi, tui securam promissi. Dixerat, cum toto porrecta lectulo, et decenter composita, sublatis in cœlum manibus, fixisque in Filium ad cœlestia gaudia invitantem, comiter oculis: « Ecce, inquit, ancilla Domini; fiat mihi secundum verbum tuum. » Et cum dicto similis plane dormienti suaviter, nullo dato doloris indicio, sub vesperam, ad XVIII. cal. septemb. anno post Christum natum septimo et quinquagesimo, post eundem in cruce damnatum tertio et vigesimo, Domina jam duos et septuaginta annos prope (nam secundum veriorum gravissimorum virorum sententiam dies quatuor et viginti desiderabantur, quamvis alii tribuant ei nonnisi novem et quinquaginta, alii etiam sexaginta annos) nata, placidissimo consopita somno sanctissimam animam ejus in manus edidit, quem ipsa olim in hanc lucem ediderat. Unde merito S. Bernardus ad fiduciam erga ipsam concipiendam sequentibus verbis hortatur: « Advocatam præmisit peregrinationi nostra, quæ tanquam Judicis Mater, et Mater mi-

sericordiæ suppliciter et efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Quidni? siquidem nec facultas ei deesse potest, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est. Denique Mater est unigeniti Filii Dei; nihil enim sic potest potestatis ejus, seu pietatis magnitudinem commendare; nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem; » aut dubitare quis possit omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.

De S. Joannis Evangelistæ morte (hunc enim, quia solus ex Apostolis siccam mortem obiit, solum quoque hic commemorare placet) sic scribit idem Ribadeneira: Denique cum S. Joannes jam esset omnino vetulus, multis et annis, et laboribus, et meritis cumulatus, ardentissimoque sui magistri videndi desiderio accensus, ipso revelante didicit, se paulo post hinc evocandum; cumque aliquando suos discipulos admonisset, et congruis temporibus præceptis imbuisset, cum iisdem montem, in quo suas ad Deum preces effundere solitabat, ascendit, jussitque hic fossam cavari, qua suos artus componerent. Itaque signo crucis armatus cum dixisset: « Et tu mecum esto Jesu Christe; » circumstantes vero his verbis affatus esset: « Pax vobis, Fratres; » pallium in fossam primum, dein et semetipsum demisit, mox ingenti splendore circumfusis spiritum suum reddidit Creatori, discipulis ejus omnibus amare plorantibus, quod se tali patre, et pastore cernerent orbatos, solemque occubuisse, qui suis mundum radiis illuminarat. Porro etsi maxima de hoc Sancto encomia a variis referantur, præcipuum tamen merito censi debet, quod fuerit discipulus, quem diligebat Jesus, uti ex eo colligitur, quod adoptavit illum in fratrem, et sanctissimam Virginem ei tantquam Matrem donavit, cumque illo tantquam fratre natu minore suas facultates adeo liberali manu commiserit. Nam quidquid in aliis sanctis invenitur divisum, S. Joannes accepit totum. Ipse namque est Angelus, Patriarcha, Propheta, Apostolus, Evangelista, Doctor, Virgo, Martyr. Quamobrem hortatur merito idem Ribadeneira, ut, quotquot Christiani audimus, gloriosissimum, et beatissimum huic Apostolo devotissimus. Huic optimo potentissimoque patrono nos magna pietate commendemus. Hunc advocatum nobis adsciscamus, exempla

ejus virtutes imitemur; et vero cum non nesciamus Christianæ summam perfectionis charitate contineri sic, ut Christum diligamus, invicemque a Christo diligamur, ad hanc ille suo nos exemplo, suffragioque vel maxime promovebit. Quamvis autem decemana quodammodo portia, qua nobis ad Christum datur aditus, sit ejus benedicta Mater (quæ, ut ita loquar, mediatrix est totius humani generis, apud suum Filium, sicut et hic apud æternum Patrem) nihilominus ad ipsam Virginem optimis advocatus, et sequenter erit S. Joannes, quoniam singulari prærogativa, privilegioque hanc habet tantquam Matrem, et hæc illum tantquam Filium.

Illustria Episcoporum morientium exempla.

Inter hos primum merito locum sibi vendicant Ecclesiæ Doctores. Et quidem de S. Ambrosii morte hæc habet Ribadeneira: Cum psalmi quadragesimi tertii explicationem inchoasset, antequam illam finiret, repente lethali correptus ægritudine prolixaque, decubuit, ingemiscente tota civitate, virisque prudentibus male metuentibus Imperio Romano, si subduceretur is, qui suis et meritis et precibus illud sustentabat. Quamobrem Comes Stilicho, Polemarchus, et intimus Honorii Imperatoris amicus quosdam suos amicos ad virum sanctum misit, qui eum rogarent, ut quandoquidem facile posset, a Deo suæ dilationem mortis impetraret, ne forte mortuo ipso, mala, qua timebantur, evenirent. Legati Stilichonis suo fungentes officio, multisque eum urgentes nihil impetrarunt ab Ambrosio, nisi hoc tantummodo responsum, vel ab ipsomet S. Augustino laudatum: « Non ita inter vos vixi, ut vixisse me pudeat; nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. » Assistebat ex hæc ægritudine decumbenti Bassianus Laudensis Episcopus, et cum aliquando invicem preces ad Deum funderent, vidit ille venientem Dominum, qui ad decumbentem invisit, eundem læto ridenteque ore consolatus. Sabbato sancto cum sanctus Ambrosius commissis inter se decussatim manibus precaretur, submissa voce sub creperam seris vesperis lucem S. Honoratus Episcopus Vercellensis, qui in suprema domus contignatione morabatur, tertium audiit hæc voce se

compellari : « Surge, festina, quia modo recessurus est : » ille mox descendit, mortuumque divino viatico refecit, quo, singulari pietate reverentiaque percepto, suum vir sanctus spiritum suo reddidit Creatori, paulo antequam sol oriretur, ipso mane Paschalis anno Christiano 397 prid. nonas april. natus annos quatuor et sexaginta. RIBAD., vii decembr.

Cum S. Augustinus duorum et septuaginta annorum senio esset fatigatus, et duos ac triginta annos Ecclesiæ fuisset moderatus, affecta fractus ætate, studiisque et gravissimis per omnem vitam negotiis confectus, mire quietis, ac otii cupidus, ut sua revidere posset opera, ac ad excipiendam mortem esse comparare, et animam suam ad veram vitam componere, totoque voluntatis affectu Deo frui, clericis et populo consentientibus (ut tunc in aliquibus Ecclesiis mox obtinebat) secundum suam mortem, qui succederet, Episcopum designavit Evodium Presbyterum, ut is esset arbiter omnium causarum et negotiorum, pollicitus in his etiam operam suam, si necessitas postulasset, et ita factum esse. Secundum hæc cum quatuor adhuc annos fuisset superstes, animum precibus, divinarumque rerum commentationibus recreando, aspirandoque incredibili amoris affectu in Deum : cuius videndi desiderio sic arsit, ut his ad eum vocibus eruperit : « Eia jam, Domine ; eia appare mihi, et consolatus ero. Exhibe præsentiam tuam et consecutus ero desiderium meum. Revela gloriam tuam, et erit perfectum gaudium meum ; sitiit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea. Sitiit anima ad Deum fontem vivum quando veniam et apparebo ante faciem Domini ? quando venies consolator meus, quem expecto ? O quando videbo gaudium meum, quod desidero ? O si satiabor cum apparuerit gloria mea, quam esurio ? O si inebriabor ab ubertate domus tuæ, ad quam suspiro ? O si potabis me torrente voluptatis tuæ, quem sitio ? sint mihi interim, Domine, lacrymæ meæ panes die ac nocte, donec dicatur mihi : Ecce Deus tuus, donec anima mea : Ecce Sponsus tuus : Pæse ininter me singultibus meis, refocilla me doloribus meis. » Hæc sunt verba S. Augustini, de quibus colligere est, quantis affectibus, quamque ardentibus desideriis supernam patriam suspiravit. Interea dum talibus amoris ignibus arderet divino nutu, Wandali, barbara atque atrox natio cum

Gallis Hispaniam ingressa, hinc in Africam progressa, totamque longe, lateque regionem populata, crudele bellum movit. Hæc barbara colluvies Hipponem quoque ætissima obsidione pressit, eaque virum sanctum molestissime affectu, quod gregem suum tot malis videret obvallari. Cumque obsidio hæc totum trimestre tenuisset, vir sanctus Dominum submissis omnino precibus oravit, ut se vel ea miseria liberaret, aut potentiam donaret, aut mortalitate corporis absolveret ne sui populi calamitatem cogereetur intueri. Atque huic ultimæ petitioni Dominus annuit. acutissimaque eum febris corripuit. Unde statim sensit mortem sibi proxime imminere. Porro quamvis ad hanc excipiendam adeo bene comparatus tantoque moriendi desiderio flagraret, ut dictum nihilominus septem sibi psalmos Davidicos, quos a Penitentia nominant, describi, et ad proximum lecto parietem jussit affigi, vetuitque quemquam se convenire, præter medicos, aliosque obsequio suo necessarios. Atque hæc lex duodecim totos dies est observata. Crebro, magnaque pietate lacrymis irroratus Psalmos legens, Sacramenta suscepit, dicere solitus : « Post perceptum Baptismum etiam laudatos Christianos et sacerdotes, absque digna et competenti penitentia exire de corpore non debere. » Ut horum mortis suæ sensit, suis in Christo filiis, quorum multi copiosis irrigati lacrymis circumstant, benedictionem impertivit, et ipse animam Deo cum tanto divine gloriæ incremento creatam V cal. septembris reddidit, quo die S. Ecclesia agit anniversariam ejus memoriam, cum esset sex et septuaginta annorum, rexissetque Ecclesiam Hipponensem sex annis et triginta, anno Christiano 233, teste S. Prospero S. Augustini discipulo, aut ut vult Cardinalis Baronius 330. RIBADEN., 28 august.

De S. Gregorii magni morte sic scribit Ribadæira : Incredibile memoratu est, quam generoso tam publicas, quam privatas calamitates animo semper exceperit, nam de seipso scribit in hæc verba : « Ecce jam biennium pene expletur, quo lectulo teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus festis usque ad horarum trium spatium surgere valeam, missarumque sollemnia celebrare. Mox autem cum gravi compellor dolore decumbere, ut cruciatum meum possim interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus est,

interdum nimius ; sed neque ita lentus, ut recedat ; neque ita nimius, ut interficiat. Unde fit, ut qui quotidie in morte sum quotidie repellat a morte. Nec mirum, quia peccator gravis talis corruptionis carcere diu teneor inclusus ; unde compellor exclamare : Educ de carcere animam meam ad confitemur nomini tuo. » Et alibi ait : « Rogo, ut pro me peccatore enixius oretis, quia et dolor corporis ex podagricis et amaritudo cordis ex curarum afflictionibus ; et immensa vastitas mortalitatis inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit. Inter quæ omnia non temporalem, sed æternam consolationem requiro, quam per me impetrare non valeo, sed per intercessionem vestræ beatitudinis, hanc me obtinere confido. » Quin et ex aliis litteris satis intelligitur, a Deo sic afflictum, morbisque adeo confectum, ut corpus, quod prius erat succosum, prorsus exaruisse, nec ei quicquam fuisse solatio, nisi solam citæ spem mortis. Eoque sapius amicos appellat, ut sibi Numen propitium, impetrentque a mortali corpore missionem, dolorum interea tolerantiam, invictamque patientiam, « ne nimio (ut ipse ait) quod absit, tædio in impatientiam cor erumpat, et quæ curari per plagam poterat culpa crescat ex murmure. » Piissimus ergo tot ærumnis defecasset, precibus ejus denique annuit et ex ægri corporis mortalitate missionem petenti dedit, ac ad æternæ gloriæ bravium quod heroicis adeo virtutibus meruerat, percipiendum evocavit. Moderatus est Ecclesiæ annos duodecim, menses sex, dies novem. Obiit 4 idus Martii, quem diem anniversaria Eccl. celebrat memoria, anno Christiano sexcentesimo quarto. Ibd., 12 mart.

S. Hieronymus cum gloriose cursum suum consummasset, suarumque virtutum, ac doctrinæ radii mundum collustrasset, Ecclesiam S. Scripturæ thesauris opulentasset, stygii draconis caput obtrivisset, tartaræ belluas, videlicet hæreses domuisset, omnesque, qui vel his, vel suis cum vitis oppugnaverant, triumphasset, pios catholicos viam perfectionis, qua tenderetur in cælum, docuisset, jamque senio affecto, et annis, et laboribus, et studiis, et penitentia operibus esset confectus, adeo, ut neque se lecto commovere posset, nisi pensilis et lectica funiculi adminiculo attolleretur, febrî correptus intellexit affulsisse diem, quo carcere mortalitatis educeretur, et ad beatam sublevaretur immortalitatem, quemadmodum ardentissimi

mis omnino votis exoptarat. Incredibile memoratu est, quibus lætitiis animus ejus inaccesserit, quos tunc jubilos, quos plausus dederit. Et quamvis omnis ejus vita nihil aliud fuerit, quam meditatio, et ad mortem præparatio, nihilominus denuo ad confitemur cum stygio dracone quem jam toties vicerat, seque præparavit. Inde suos consolatus est monachos, et personas sibi devotas, quæ morienti præsentibus multis lacrymis irriguæ, et certalim confluerant, ut decedentem spectarent. Cumque omnes hortatus esset ad amorem Dei, mutuamque charitatem spiritum suum reddidit Creatori prid. cal. octobr. anno Christiano 422 secundum Prosperum Chronicum, sed secundum Cardinalem Baronium anno 420. Ibd., 30 sept.

Idem, Eusebio teste, morti vicinus, ad eos, qui deplorabant, se convertens ait : Me non tamquam morientem lugeatis, sed mecum tamquam portum salutis attingentem gaudete. Quid imbecillius miseria hujus vitæ, qua tot dolorum et passionum agminibus circumdamur ? RIBAD., 14 jun.

S. Basilius inerat amicitiam cum quodam Hebræo Josepho medicæ artis peritissimo, quod oppido desideraret hunc virum Christo lucrari. Sed oleum operamque perdere visus, quamdiu sanus valensque persistit. Cæterum cum jam vitæ meta propius adesset, mortemque sibi sentire imminere, jussit hominem acciri velut auditurum, quænam sibi spes esset super. Hebræus ut arteriæ tenui motu salienti manus admovit, profusus exclamavit, actum esse de vita ejus, sub vesperam certo decessurum. Tum vero Basilius : « Quid, ait, dicturus es, si usque in tempus matutinum supervixerò ? » Cui medicus : « Id quidem, inquit, mi Domine, fieri nulla ratione potest, et si id video, pollicor me fore Christianum. » Itaque vir sanctus Deum supplex oravit, ut mortalis sibi tantisper vita prorogaretur, quod scilicet Hebræus animi vita potiretur, et ad Christum converteretur. Campos factus voti sui Basilius et salutis Hebræo, qui miraculo omnes medicinæ regulas vincente victus ab ipsomet Basilio novis a Deo viribus aucto, publice in Ecclesia, cum omni sua familia baptizatus est. Secundum hæc Basilius lectulum repetiit, mortem porro præstolatus. Interea vulgante fama cum lethalem sui Præsulis ægritudinem didicissent, omnes perinde ut si natura singulorum pater esset quemadmodum in Christo revera erat, ube-

ribus irrigati lacrymis accurrere solliciti, si qua possent eum vivum retinere : eoque de suis annis ejus annos augeri desiderabant. Enim vero plus apud Deum potuere Basilii merita et desideria, quibus ille jugiter cœlestem patriam suspirabat. Quamobrem vir sanctus ad circumfusam piorum concionem conversus, gravissimis omnibus verbis hortatus ad fideliter Deo serviendum. Hinc cœlestes ab se celo sui in cœlos deducendi causa delapsos intuitus, sanctissimam animam efflavit in hæc verba : « In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. » Decessit Calendis Januarii anno a partu Virginis 378 cum octennium, semestre et dies sexdecim in Episcopatu exegisset. *BARON., c. IX, p. 382.*

De morte S. Athanasii S. Gregorius Nazianzenus in hæc verba scripsit : « In bona senectute vitam claudit, Patribusque suis, Patriarchis, et Apostolis, ac Martyribus, qui pro veritate dimicaverant, adjungitur. Atque ut epitaphium quoddam paucis complectar, excellentiori honore in discessu afficitur, quam quo in civitatibus ingressibus ornatus fuerat. Sic videlicet « vita migrans ut multas lacrymas excitaret, majoremque in rebus quæ in aspectum cadunt, nominis sui gloriam in omnium animis recondere. » Mox ad sanctum virum conversus : « At tu, inquit, charum, sacrumque caput, qui præter cœteras tuas laudes, sermonis et silentii modum eximie coluisti, orationi quidem nostræ finem hic constituit, si virtutum tuarum præstantiam haudquaquam assecuta, ac nostris certe viribus minime inferiori. Nos autem ipse benignus desuper et placibus aspicias, atque hunc populum gubernes perfectum perfectæ Trinitatis, quæ in Patris et Filii et Spiritus Sancti contemplatione intelligitur, et colitur, adoratorem meque, siquidem republica pacata futura sit, in vita teneas : sin autem Ecclesia bellis flagrata est, reduceas aut assumas, tecumque et cum tui similibus colloces. Hactenus S. Gregorius Nazianzenus. » Porro decessit Athanasius anno Christi 372 sexto maii, cum totis quadraginta sex annis Ecclesiæ præfuisset, grandibus illustris laboribus, angoribus, ærumnis, præliis, victoriis, trophæis. *RUBAD., 2 maii.*

Memorabilis quoque est S. Chrysostomi mors in exilio sancte obita; missus enim cum esset ab Imperatrice Eudoxia miles, qui eum a priore exilio, Cucuso, ubi præter

morem ab Incolis clementer habebatur, avulsam duceret Arabissum, indeque Pyntium extremos Euxini Ponti limites. Hoc ultimum iter ultime Chrysoctomum affecit, quod miles, a quo non tam ducebatur, quam raptabatur, imperatorii favoris auctoris exullem immensis itineris diuturni laboribus exhaustum porro semper urgeret, nec ulla nocturnæ etiam quietis parte imperitum respirare unquam sineret. Itaque si quod forte commodius hospitium, et a rebus viatori necessariis instructum occurrisset, hospitalis omnino miles illud declinabat, magnisque ambagibus usus, ad avium, obscurumque aliquod gurgustium divertebat, cujus extincto foco culina algeret, cujus jejuna penus mulceret, cujus pervetusto textu tanquam peripetasmate paries undique squaleret, quod pro pluma terram, pro strato pavementum fatigatis artibus ministraret. Tot ergo tractum laboribus et ærumnis, ardentissima febris et incredibili dolore tormina exceperant; quæ quamvis eum morti jam proxime admovisset, nullam tamen ægro neque nocturnæ quietis partem crudelitas inhumana concessit. Sed enim quamvis corpus adeo esset afflictum, iis tamen animi deliciis reficiebatur, quibus sancti reficiuntur, divinitusque recreantur. Carebat quidem medico, qui salutaris herbarum succos temperaret, desolatamque comiter inviseret, sed mortales Æsculapii vires egerunt immortales, celestesque, ut ita loquar, Phœbi, Petrus et S. Joannes Apostoli. Defecerat eum penus, sed Apostoli detulero cœlesti annonam peni, qua refectus nullo corporis alimento deinceps indiguit. Institutum porro prosecutus iter ad S. Basilii Martyris et Episcopi tumulum pervenit, qui, cum spectabili forma sese Chrysostomo obtulisset : Macte animi, inquit, frater Joannes, crastina nos lux loco sociabit. Idem S. Episcopus et Martyr pridie apparuerat Ecclesiæ suæ edituo, his eum verbis allocutus : Vide, sit locum fratri meo Joanni, qui paulo post affuturus est, præpares. Hinc prognosticis sese super optato vitæ mortalis fine consolatus Chrysostomus rogavit milites, vellent exiguum eo loco morulam sibi concedere, sed enim : « Nulla fides pietasque viri, qui castra sequuntur. » Minus nihilo supplex exulis moribundus pietas apud impietatem valuit. Itaque institutum quantocius iter mutare coactus, ad eundem tamen locum vel invitis, ac frementibus

militibus divinitus est relatus. Ubi perceptis Ecclesiæ Sacramentis, quicquid alimenti, vestimentive inhospita militum barbaries ei reliquum fecerat, id omne cum tenui arario liberaliter in pauperes partitus, amicosque, quos individuos viæ comites habuit, consolatus, mortalitate deposita ad beatam migravit immortalitatem 18 kalend. octobr. qui dies S. Chrysostomo festus agebatur olim, sed nunc idem S. Crucis Exaltationi sacer est, non sine singulari numinis providentia, ut tunc tantus divinæ præco Crucis ad triumphos S. Crucis in cœlo celebrandos evocaretur, qui fidiissimus crucifixi Christi pedesque suam quoque Crucem fortiter adeo patienterque bajularet. Decessit Chrysostomus anno Christiano 407 imperantibus senioris Theodosii filii Arcadio et Honorio, illo Constantinopoli, hic Romæ. *IBID., 27 januar.*

De S. Gregorio Nazianzeno sic scribit Ribadeneira : Hic vir sanctus, quamvis divina semper esset paratus voluntati, continuusque suarum domitor affectionum, et omnis omnino perfectionis studiosus, tamen circa supremam suæ vitæ periodum ferventius in id studii genus incubuit, prudenter amulatus lapidem, qui sublimi loco demissus, quo vicinior incipit esse centro suo, tanto concitator est in motu suo. Atque hoc satis aestimare licet ex eo, quod ipse de semetipso scribit, cum se verbosorem putaret (quamvis omnia ejus verba non nisi sanctitatem, proximique utilitatem, vel humanam necessitatem spirarent) nihilominus quo suæ cupiditati modum poneret, totos quadraginta dies pertinax adeo silentium tenuit, ut pisce taciturnior esse videretur. Postea autem fecit (ut monet Sapiens) ostia ori suo sic, ut hæc vel in Dei laudem deduceret, vel suo tempore obduceret. Denique cum jam gloriosus hinc Doctor sua tum vita, tum doctrina Ecclesiam mirifice illustrasset, annorum juxta, meritorumque plenus, nonagenarius ad Cœlites subvolavit æterna perceptum premia, tot ejus laboribus et sudoribus condigna, illius nempe porrigenda manu Domini, cui sollicite adeo, pie constanterque fuerat famulatus. Decessit 7 non. maii, anno Christiano 389, undecimo scilicet Imperii Theodosii. Ingemuit ejus occasu tota Catholica Resp. quamvis revera non occuberit, sed mortem effugerit, ac etiamnum suis vivat in operibus, quæ posteritati reliquit, adeo consum-

mata, suisque numeris omnibus absoluta, ut innumeris ea præconiis efferrant posterioris ævi Doctores. S. Basilus Gregorius amicissimus, eum vas electionis vocitatum, altumque sapientiæ puteum, et os Christi. Cassiodorus autem ait, eum fuisse clarissimam scientiæ doctrinæque faciem, qui, quamvis in morte sit visus calligare, tamen hodieque vivit auctoritate sua, vivit fide sua : et quamvis multos jam annos ab Ecclesia sit secundum corpus absens, præsens tamen adest voce sua, suisque nos monitis atque præceptis, tanquam magister regit, eruditque. *IBID., 9 maii.*

S. Laurentius Justinianus, cum jam primum et septuagesimum ageret ætatis annum, laboribus exhaustus, et meritorum plenus, arsit moriendi desiderio, sic tamen ut divinæ voluntatis arbitrio staret, a qua fuit ancipiti morbo tentatus. Neque tamen interim persuaderi potuit, ut sanitatis recuperandæ causa, sese sineret ex aspero strato transferri ad minus asperum durumque, quinimo se nimis indulgentem haberi questus ait : « In quanta ob hujus sacci villis samitatem parantur, quanta perduntur, cum interea pauperes Christi, non panem, non stratum, non ignem habeant, unde caleant. » Intellexit vir sanctus imminere sibi mortem, quam licet (ut erat revera modestus et humilis) subinde timere videretur, nec securitatem sibi polliceretur, continere tamen gaudium nequibat, quoties ejus meminisset. Atque ita nos docuit hujusmodi vitæ actu timendum esse cum confidentia, confidendumque cum timore. Hinc suorum manibus in templum delatus, ut Eucharistiæ viatico instructus fortius morti infernoque coluclaretur. Mox divino viatico refectus, supremumque unctus, suavissime Christo colloquens : « Suscipe, inquit, me bone Jesu, vita et salus animæ meæ; neque enim in justificationibus meis prosterno preces meas ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Illa ego ovis amissa ad te Pastorem redeo, peto, Domine, ut ad ovile me reduceas, sed neque felicem spirituum tuorum sedem affectare ausim. Portio tamen aliqua creature tuæ postulat micæ suavissimæ mensæ tuæ. » Postea ad circumstantes conversus ait : « Vos interea, Fratres, servate Domini præcepta. Omnis caro fonem et omnis gloria ejus tanquam flos feni, contemplantini me. Ecce aruit fenum, et flos decidit, horam hanc quis poterit

evadere? sed mihi credite, filii, nihil præstantibus præstantius, quam servire Domino.» Inde reipublicæ gubernatoribus commendavit justitiam, et erga pauperes misericordiam, sacerdotibus honorem Dei, cultum Ecclesiæ, et charitatem, rogavitque eosdem, ut sui in precibus meminissent. Cæteris ea commendavit, quæ magis iis convenire videbantur, et universim cunctos admonuit, ut in primis Deum timerent, ejusque obedire mandatis niterentur. Porro suis in Christo filiis, præsentibus et absentibus impertitus benedictionem, ut suum corpus sine pompa, sumptuque in monasterio S. Georgii in Alga humarent, imperavit. Denique in suorum cœnobitarum brachiis suum Domino spiritum reddidit, quem ille pro tanta sua gloria crearat. *Idem.*, 2 jan.

Idem S. vir, Surio referente, in agone circumstantibus dixit: Abite hinc cum vestris lacrymis, tempus lætitiæ est, non lacrymarum. Pudeat vos mortem timere, cum Dominus noster Jesus Christus, in cuius conspectu decumbo, propter nos in cruce mori voluerit. Hunc diem semper ob oculos habui, tu scis, mi Domine Jesu. *SUR.*, 8 jan.

Sanctus Paulinus Nolanus Episcopus, dum e captivitate redux, solitis se deinceps pietatis exercitiis, et Ecclesiæ suæ gubernandæ totum impendit, lethali correptus ægritudine, et a geminis Episcopis Simacho ac Benedicto visitatus, oppido eorum officio, congressuque recreatus est. Hinc in cubili suo aram jussit erigi, ad quam collectis utrumque virum reliquis magno pietatis affectu Missam fecit, duobus illis, quos memoravimus, Episcopis assistentibus. Absoluto Sacrificio lectulum repetiit; percontatus, ubinam sunt Fratres mei? quidam famulorum ratus, eum requirere Episcopos, qui præsentibus adstabant, respondit: Ecce illos, Pater. Cui vir sanctus: Non ego hosce fratres requiro, inquit, sed Januarium et Martinum, qui mihi præsentibus affuere, mecumque colloenti, se redituros dixerunt. Fuit Sanctus Januarius Episcopus et Martyr, et Patronus Neapolitanæ civitatis, ubi hodieque caput ejus religiose servatur cum sanguine, qui capiti appositus, quamvis antea concretus fuerit, solvitur, et ebullit usitato perpetuoque miraculo. Sanctus Martinus autem fuit Episcopus Turonensis toto terrarum orbe miraculis, ac fama sanctitatis inclutus, cui Sanct. Paulinus notus

fuerat, utpote cujus precibus adjutus unius receperit oculi incolumitatem, simul eum lampadis (quæ secundum ejus obitum ad tumulum ejus pependit) oleo, tamquam collyrio inunxit. Hi duo sancti cœlo delapsi ad moribundum inviserunt Paulinum, qui cyncæum in morem, sui quodammodo funeris cantor, mox cum Regio Vate canere cocepit: « Levavi oculos meos in montes. » Adstitit morienti præsens quidam Sacerdos Posthumus admodum afflicto, quod quadraginta denariorum (quos ipse jubente Paulino mutuos aliunde sumpserat, et in pauperes erogarat) esse alienum confasset, eoque nondum dissoluto virum sanctum mori cerneret, neque qui creditoribus faceret satis, modum reperiret. Paulinus hunc ita moestum forte conspicatus, cum ei comiter arisisset: « Securus, inquit, esto fili, crede mihi, quia non deerit, qui debitum pauperum solvat. » Vix ea fatus erat, cum ecce ibi bajulus adest, qui quinquaginta ei denariorum elemosynam deferret; e quibus duo bajulo reddi vice mercedis, reliquis solvi debitum, et creditoribus satisfieri præcepit cum dicto: « Gratas tibi ago, Domine, qui non derelinquis sperantes in te. » Interea diurnæ luci successit acerta viri sancto nox, utpote quam diris omnino doloribus conflictatus exegerit. Simul autem prima creperat auroræ lux erupit, matutinas Deo preces religiose persolvit, suos inde clericos ad exhibendam Deo promptam, accuratamque servitum, præstandumque sibi met ipsis mutuum castissimi amoris affectum, et ad servandam inter sese concordiam ac pacem diligenter exhortatus est. Secundum hæc tacitus usque ad vesperam perduravit. Hinc cum nox ingruiisset, et lucernarum usus appetisisset, suavi submissaque voce in hæc Regii Vatis verba erupit: « Paravi lucernam Christo meo. » Porro cum divinarum rerum commentationibus usque ad quartam noctis horam vacasset, multis mortalibus stratum ejus circumstantibus repente cellula ejus ingenti terræ motu quati cepit. Ingens ergo cum præsentibus omnes sacerque horror invasisset, in genua provoluti suis Deum supplicationibus propitiare studerunt. Cæterum vir sanctus cum hoc terræ motu, sacroque fragore (qui tantummodo ejus in cellula exauditus est) corporis nexibus absolutus, ac cœlites evolavit. Relictus est a morte vultus ejus omnino venustissimus, et nivis instar

candidissimus; unde facile esset æstimare, ad quam tam subvecta esset gloria illa anima, quæ tam casto, arctoque nexu fuisset illi corpori devincta. Ingenuit hujus tanti Præsulis oceanus tellus, sicut contra valde gavisus cœlitum chorus. Mœrebat amisso Pastore civitas Nolana; contra jubilabat novo aucta inquilino civitas superna. Illa plangebat orbata Episcopo; hæc plaudebat ornata socio: madebat illa lacrymis, incedebat hæc lætitiis; illa tristabatur amisso cive, hæc lætabatur recepto municepe; hinc audiebantur lugubria epicedia, illinc lætissima epicinia; hinc tristia lamenta, illinc festa carmina; hinc omnia funebribus plenam neniis, illinc natalitiis plena canticis; hinc ei funereum parabat epitaphium, illinc ei gloriosum immortalis victoriæ erigebatur trophæum. Decessit sanctus Paulinus anno Christiano 431, Theodosio juniore, et Valentiniano Imperatoribus, 10 kalend. julii, quo die celebrat Ecclesiæ anniversarium ejus, festamque memoriam. *RUBAD.*, 12 jan.

Sanctus Isidorus Archiepiscopus Hispanensis Ecclesiam sibi demandatam quadraginta circiter annos sanctissime rexit, jamque sanctitate et meritis clarus, non ignarus se propius meta mortis adesse (quamvis omnis ejus vita perpetua quadam fuerit meditatio, et ad mortem præparatio) tamen eidem sibi delegit semestre præparationi. Itaque ferventius in preces, aliasque corporis afflictiones incubuit. Hinc gravissimo implicitus morbo, evocatis ad se Joanne, Eparcio, et Episcopis sibi amicissimis, discipulorum humeris in sancti Vincentii templum delatus, cinere et cilicio opertus, reverenti submissionis ac pietatis affectu, gestuque, publica peccatorum confessione expiatus, atque sacræ mensæ epulo ex more Christiano manibus Episcoporum reffectus est. Mox veniam eorum, si quæ forte perperam commisisset, tum ab universo populo intermortibus vocibus, tum a divino Numine ardentissima oratione, et humillimo totius corporis habitu precatus, mutuum eis amorem commendavit. Quin et sub ipsam mortem vaticinatus est genti, fore, si ab iis, quæ tradiderat divinis præceptis, doctrinaque recederent, ut omnibus malis implicati scelerum penas exsolverent, de rerum culmine deturbati, atque gravissimis ærumnis oppressi. Quod si hii malis castigati ad sanitatem tandem revocarent

animos; majori quam antea gloria parta cæteris nationibus superiores fore. In utraque re non inanem fuisse vatem superioris temporis memoria, et nostra ætatis amplitudo ostendunt, cum imperium Hispanicum olim a Mauris oppressum, nunc ab exiguis initiis profectum, atque a veteri calamitate reflorescens in eam creverit amplitudinem, quæ ipsius orbis ferme finibus terminatur. Denique cuncta pauperibus elargitus, inops æris, opulentus meritis, sanctissimam animam in Dei manus edidit, pridie Nonas aprilis, anno Christiano 636, Imperatore Heraclio. Corpus ejus Hispani conditum, cujus urbis, ut Mauri politici sunt, Ferdinandus primus Castellæ Rex, multa prece, pretioque a Bonabetta Mauro, Hispanensi Rege redemit; indeque asportatum Legionensem in urbem transtulit, et in magnificam omnino Basilicam repositus, ubi hodieque aurea clausum area religiose asservatur. *Idem.*, 14 april.

Sanctus Ubaldo Perusinus Episcopus simul ad canam pervenit ætatem, multis jam laboribus, jejuniis, et voluntariis corporis afflictionibus fatigatus, cruciabili morbo dejectus, atrocissimos omnino dolores sensit. Minutissimis namque ulceribus, e quibus fœda, continuaque sanies promanabat, toto corpore ejus pullulantibus ultime sanctus senecio fuit affectus. Hosce tamen dolores non modo patienter, sed et hilariter, continuis Numen hymnis, canticisque veneratus a verno jejunio usque ad Domini anastasin pertulit. Quo die rogatus a civibus, ut Missarum solemniam celebraret, cum negaret id a se posse præstari denique a civitatis Rectore magis sollicitus assensit. Protinus ergo nullo prorsus humano adjutus auxilio, sese strato corripuit, Missam solemniter fecit, et secundum hanc, ad frequentissimam populi concionem, testamenti vice, ultimum peroravit. Hoc defunctus officio ad lectum reversus, febriumque rigore acriter concussus, altera Pentecostes die orans et psallens ad Dominum migravit. Cujus corpus hodieque non modo integrum, incorruptumque durat, sed et miraculis clarat, et ad exigendos energumenorum corporibus cacodæmones valet. *Idem.*, 16 maii.

Sanctus Martinus Turonensis Episcopus sextum jam et octogesimum affectæ ætatis annum agebat, cum vitæ mortalis pertæsus, et immortalis, beatæque cupidus, divi-

mirabili circumfusa gloria, cum innumera pupillorum, viduarum, et pauperum corona procedentes, et manibus ramos præferente, sacra ejus reliquæ suavissimum sudavere liquorem, morbis curandis opportunum. *Ibid.*, 23 jan.

Sanctus Julianus, Cochensis Episcopus, cum cœlesti vita, doctrina, et miraculorum gloria floreret, jamque ageret 80, ætatis annum, visum Deo fuit eum gravi exercere ægritudine, qua se consummandum, atque ad cœlestem patriam evocandum cognovit. Ergo Pontificalibus indutus et pallio, SS. Sacramenta suscepit; inde sibi cilicium asperimum stravit, seque in terram abiecit, cinere aspersit, suo capiti lapidem supposit, ut Servatorem nostrum quadamentus imitaretur. Cumque eum agon mortis exerceat, adventientem vidit virginem pulcherrimam, candidissimam operam vestibus, instar solis radiantem, roseo diademate redimitam, cœlitumque et multarum virginum choris comitatam concinentium: « Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. » Vir sanctus ut cœlestem musicam audiret, genua humi fixit magno pietatis affectu, et pro tanto beneficio sibi colato gratias egit Deo, Deiparæque, quod ad se dignata fuisset invisere, quæ his eum verbis affata est: « Accipe, serve Dei, palmam symbolum virginæ integritatis ac puritatis, quam servasti semper illibatam. » Sic effata disparuit, totumque cubile fragrantia, et odore suavissimo plenum reliquit. Quamobrem vir sanctus, cum Deo gratias egisset, inter ipsas preces, quas fudit, sanctam animam efflavit, die Dominico 5 kalendas februar., anno Christiano 1228. Simul ut expiravit, viderunt, qui morientem presentes aderant, ex ejus ore procedere ramum palmæ venustissimum, omnique nive candidiorem, qui sublatus in aera visus patulum subire cœlum, Angelica harmonia suaviter, clarumque concinente. *Ibid.*, 28 april.

S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, fuit extremis suis in doloribus adeo patiens modestusque, ut non Manlianus imperis extorquere, sed humilibus precibus emendicare necessaria videretur, hac subinde formula usus: « Exhibe, aut fac mihi hoc, aut illud propter Deum, ut Deus hoc tibi retribuat in futuro. » Quod si quis eum vel levissime reprehendisset, seque in ejus famulatu, vel minimam molestiam passum

significasset, mox percussu pectore illum solemmem penitentis formulam recitabat, cujus initium est: *Confiteor*, etc. Cumque jam morte propius adesset, quidam Comes intimus ejus amicus eum visitatum venit. Quem vir sanctus serio monuit, ne subiectos sibi populos nimis veetigalibus, tributisque exhauriret, nisi severius a Deo puniri vellet. Quo audito Comes ostupuit, quod exigere ejusmodi tributa sibi tantum cogitando proposuisset, numquam tamen exegisset, neque deinceps exigere vellet, quod suas cogitationes ei divinitus esse revelatas agnovisset. Interea majora semper incrementa morbus suscipiebat, ægrumque graviores usque dolores excipiebat, cum denique ei felix hora mortis affluisit, qua eum Dominus ad æternæ gloriæ præmium evocavit. Itaque anno Christiano 1132, kalend. april. feria sexta ante Dominicam Palmarum sub gallicinium sanctus Præsul anno ætatis 80, episcopus L, decessit. Sacrum corpus ejus relictum est usque ad diei martis vesperam sequentis hebdomadæ, et integrum, fetorisque omnis expers duravit. Ad funus ejus innumera mortuorum concio cum tribus Episcopis confuxit. Neque tantummodo Gratianopolitana Diocœseos homines, sed exterorum quamplurimum concurrere, qui sacris ejus pedibus oesula libantes, eorumdem contactu suos annulos, et precatória rosaria consecrarunt. Sepultus est ad S. Mariæ, ubi fuit, et est a Christianis cultus, et a Deo multis miraculis illustratus. *Ibid.*, 1 april.

Sanct. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, cum jam septuagesimum ageret ætatis annum, religionis inite quartum et quadragesimum, et Archiepiscopatus sui tertium decimum, lenta febrî consumptus est. Et quamvis ei medicorum nonnulli spem vitæ darent, ipse tamen illud Regii vatis oraculum reddidit: « Dies amorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. » Jussit omne, quod domi suæ superasset, pauperibus erogari, quod fuit adeo exiguum, ut subductis exequiarum sumptibus non nisi quatuor aurei fuerint reliqui. Sanctis ergo Sacramentis armatus, cum jam quasi vocis usu destitutus videretur, in has tamen voces erupit: « Servire Deo regnare est. » Plenam sibi prælegi jussit Indulgentiam, qua summus eum Pontifex eo tempore donarat cujus etiam se participem fecit, inde cum Religiosi commilites ejus, finitis matutinis preci-

bus, Laudes (ut vocant) orsi fuissent, et vir sanctus eo modo, quo poterat, versuculos aliquot repetiisset, crucifixum ferventer amplexus, et reverenter osculatus expiravit, noctu Dominicæ Ascensionis sub auroram postridie kalendas maii, anno Christiano 1439, quo tempore sæpe beatitas ejus divinitus est revelata. Degebat Florentiæ, cum vir sanctus expiraret, Papa Pius II qui, quod mortis ejus non esset communitus, ægre tulit, jussitque eum magna solemnitate, pompæque humari, et ab omni sua curia exequias celebrari, sicut et factum. Itaque primo sacrum funus ad Ecclesiam Cathedralē, dein ad cœnobium S. Marci Ordinis Prædicatorum delatum, quo non tantum civitas omnis, sed confines etiam populi concurrerunt, ut sacrum corpus et contemplerentur, et oscularentur et indulgentias, quas Papa Pius concesserat, consequerentur. Fuitque concursus tantus mortalium, ut nonnisi octiduo elapso potuerit sepeliri. Cæterum hoc octiduo sacrum corpus semper integrum, bella facie visendum duravit, artubus omnibus mollibus, flexilibus, suavissimamque fragrantiam spirantibus. Sepultus, ut jusserat, in Ordinis sui cœnobio, ad S. Marci pone suos religiosos Fratres, ubi Dominus eum multis miraculis illustravit. *Ibid.*, 14 maii.

S. Prosper Episcopus Aquitanicus Rhegiensis Pontificatum (teste Baronio) gessit annos omnino quatuor ac viginti (quamvis aliqui nonnisi duos et viginti ei tribuant) sub quorum finem, Dominus ei gravium, prolixarumque, et perutilium ærurnarum, quas ejus unius amore sustinuerat, mercedem reddidit, eum lethali morbo dejectum lectulo afflixit; unde cum se corporis ergastulo emancipatum, atque in cœlum sublatum iri propediem præscisset, admodum lætus, hilarisque familiam sui Præsulis, sanctique Patris casu moestam, convocavit, rogavitque ne suo discessu dolerent, sed sui causa potius gauderent, neque inviderent suam sibi beatitatem, maxime cum se nosset eo concedere, unde posset eis optulari. Deinde, cum fuisset benedictionem Sacerdotibus et clericis, et multis civium ad eum videndum congregatis impertitus (comprecantibus omnibus, ejusque agonem juvenibus) facies ejus mira gratia et claritate resplenduit, et spiritum Deo reddidit, qui pro tanta sua gloria eum crearat, omni populo piissimis, et uberrimis lacrymis pro-

sequente tam sancti Pastoris mortem, quæ incidit 7 kalend. julii, anno Christiano 406, cum rerum potirentur Papa Hilarius, et Imperator Leo. Extra civitatem solemniter ad S. Apollinaris humatus, cujus honori templum hoc ipse consecravit. Multis Dominus hunc sanctum Pontificem miraculis illustravit, omnibus ad ejus tumulum impetrantibus quæcumque postulasset. *Ibid.*, 13 jun.

S. Malachias Episcopus Hyberniæ aliquando familiaris suos Cœnobitas allocutus, cum forte mortis mentio incidisset, et singuli, quo loco, quæve hora decedere gestirent, significasset, interrogatus etiam vir sanctus: « Si hinc migro, inquit, nusquam libentius, quam unde una cum nostro Apostolo resurgere, possim (dicebat autem ad sanctum Patritium) si peregrinari oportet, et ita permitit Deus, Claram Vallem delegi. » Interrogatus etiam de tempore: « Diem, inquit, solemmem omnium Defunctorum, propter plurima suffragia, quæ pro his tunc ab Ecclesia offeruntur. Si simplex votum putatur, impletum est; si propheta, ne ita præterit. » Curpiet S. Malachias, ut Summus Pontifex Hyberniæ Archiepiscopus Ardamaeanum scilicet Primatem, et alterum a Celso constitutum, et ab Innocentio II confirmatum, pallio impertiretur, quo facilius commissis sibi populorum greges gubernarent. Quamobrem Concilium convocavit, ut cleri, totiusque insule nomine id a Papa (sic enim decretum fuerat, cum vir sanctus esset Romæ) flagitaretur. Atque hoc oneris, itinerisque ipse vir sanctus suscepit certus ire Romam, Papa (qui tunc erat Eugenius IV, S. Bernardi discipulus, et olim monachus Claræ Vallis) supplicatum. Claram Vallem apulsus a S. Bernardo, monachisque ejus exceptus est, ut veterem amicum electumque Dei vas decebat. Quarto, aut quinto die post, cum sacra Missarum solemniam singulari pietatis affectu publice celebrasset, die quæ S. Evangelistæ Luce sacer est febrî correptus, se decessurum propediem divinitus intellexit, prædixitque. Aucta febris vi, divinissimum Eucharistiæ viaticum, Extremamque Unionem reverentius percepturus de sublimi sua cella, quam habitabat, ad Ecclesiam descendit, et eodem rediit semper, quamvis jam morti proximus esset, nullam superciliis nubem, nullum frontis fulcum, nullam oculorum cavitatem, nullam narium rugam, nullam